

EDITIONIS PRIMAE XXXXVIII

quia hi, qui currunt, se, corpus suum, agunt: quae quidem prima est, et propria, verbi potestas:<sup>15</sup> ii vero, qui currunt, aut sequantur alios, aut fugiant: quidni possit διώκειν, vt sequi,<sup>16</sup> ita etiam fugere, significare? Hesychius: Διώκειν. — — κατατρέχειν εὐ κλίμακι, οὐδὲ Φεύγειν μεθ' ὄρμης. Insigne exemplum, quod doceat, quam saepe rarius alicuius vocabuli usus grammaticos alioquin haud indoctos eo deducat, vt locum, vbi legitur verbum tale, pro suspecto, sed temere, habeant. Barnesii denique notae, vt ad propositum reuertamur, vel parum, vel nihil, illustrant poëtae verba, et longiores sunt, quam vt potuissent a nobis nunc quidem repeti, nisi molem libri augere, atque adeo cum nobis met ipsi pugnare, voluissimus. Quod quidem ipsum de Paui quoque animaduersionibus dictum esto. Nam de Dacieriae, quae fere, id quod a femina exspectari poterat, patris sui commentaria ad verbum exscripsit, itemque de Macropetraei, aliorumque huius notae, annotationis quid attinet dicere?

Hac igitur Anacreontis editione utere interea, Lector, nobisque faue. Scripsi Lipsiae in Schola Thomana a. d. IIII. Idus Apriles A. C. MDCCLIII

15. Vid. proluss. Palaephatt. 2, 10, 30. 11, 75. Sic agitare pro  
4. p. 28. sectari legitur apud Horat. A. p.

16. Vid. Theocritus Idyl. 6, 17. 436.

d

WILLIEL